



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Magistro Simoni de Melu Canonico Herfordensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

Suppliciter ut postulationem eandem approbare de solita sedis apostolicae mansuetudine dignemur, & largiri tibi licentiam transeundi. Nos igitur attendentes quod Ecclesia Ravennas quasi primogenita filia sit apostolicae sedis, & eadem ordinationem & formam Ecclesiae ferè praeteris imitetur, postulationem eandem de consilio fratrum nostrorum admisimus, tibi licentiam concedentes ab Ecclesia Imolensi ad Ravennatensem metropolim transeundi. Ceterum nuntij memorati gratiam ex gratia vel post gratiam potius humiliter requirentes, propter multiplices necessitates Ecclesiae Ravennatensis, quae pluribus est debitis aggravata, cum instantia petierunt ut fraternitati tuae palleum, videlicet insignie plenitudinis pontificalis officij, mitteremus. Licet autem praedecessores tui vel confirmationis munere, vel gratia consecrationis, vel ornatu pallei consueverint apostolicam sedem personaliter visitare, propter necessitatem tamen oppressionis quam patitur Ecclesia memorata, & sterilitatem temporis, quam non urbs solummodo, sed & magna pars orbis cum urbe deplorat, per dilectum filium R. Subdiaconum & Capellanum nostrum, nobis & fratribus nostris merito suae prohibitatis acceptum, palleum tibi de multa gratia destinamus, per nuntium ipsum juxta formam nostram, quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Ne autem ex gratia quam tibi & Ecclesiae Ravennatensi causa necessitatis impendimus, antiqua consuetudo vacillet, & in te, quod absit, exceptionem inveniatur quod in praedecessoribus tuis generaliter dicitur haecenus observatum, fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatinus usque ad annum post susceptionem pallei nostro te conspectui representes, ut quod de fidelitate apostolicae sedi servanda in praesentia nuntij nostri firmaveris juramento, profitearis apud sedem apostolicam viva voce. Tu ergo taliter eidem Ecclesiae praesse studeas & prodesse quod per tuae sollicitudinis studium tam in spiritualibus quam temporalibus auctore Deo suscipiat incrementum. Datum Laterani VI. Idus Martij.

*Scriptum est in eundem ferè modum suffraganeis Ecclesiae Ravennatensis usque viva voce. Monemus igitur universitatem vestram & exhortamur attentius, & per apostolica scripta mandamus quatenus eidem Archiepiscopo tanquam Metropolitanò ve-*

stro debitam exhibeatis reverentiam & honorem, & taliter assistatis eidem quod & ipse in vobis experiatur filialis devotio- nis affectum, & vos sentiat in eo pater- na viscera pietatis. Datum ut supra.

*Scriptum est in eundem ferè modum Capitulo & universo Clero Ecclesiae Ravennatensis usque reverentiam & honorem, & salubria monita & mandata ipsius recipiatis humiliter, & inviolabiliter observetis. Datum ut supra.*

*In eundem ferè modum Potestati & populo Ravennatensi.*

*Magistro Simoni de Melu Canonico Hersfordensi.*

**T** Va nos duxit discretio consulendos an natus ante compaternitatem filiolarum patris sui vel matris procedente tempore sibi possit matrimonialiter copulare, & si cum ea contraxerit & pluribus annis simul permanerint, an postea debeant separari. Quaesivisti etiam an conscij talis matrimonij teneantur illud in publico accusare. Super quo discretioni tuae taliter duximus respondendum, quod hujusmodi personarum matrimonium non possunt contrahere, & si contraxerint, de rigore juris possunt ab invicem separari; & qui contractum sciverint, debent illud Ecclesiae nuntiare. Datum Laterani XV. Kal. Aprilis.

*Prænestino Episcopo apostolicae sedis Legato.*

**P** Er tuas nobis literas intimasti quod cum N. Magdeburgensem Archiepiscopum ad tuam praesentiam evocasses, ipse per nuntium suum proprii corporis infirmitatem allegans, se a labore itineris excusavit, & iterum evocatus hostilitatis impedimenta praetendit, & sic nec primò nec secundò ad te vocatus accessit. Tu verò ipsius honori volens & honestati deferre, ut apud Corbeiam, quae non multum distabat, tibi occurreret, per tuas ei literas mandavisti. Cumque spe de ipsius adventu concepta. Corbeiam accessisses, ipse, sicut semel & iterum, sic tertio etiam in tua noluit praesentia comparere. Propter quod in eum, utpote contumacem, excommunicationis sententiam promulgasti, quam ipse nullatenus observavit. Verum Archiepiscopus idem per suas nobis literas intimavit quod cum propter praedictas causas se semel & iterum excusasset, & tu ei tandem ut Corbeiam accederet mandavisses, quia locus ipse ad jurisdictionem hostium pertinebat,

H H h h iij

*Epist. 7.*  
Filij duorum \*  
compatrum nõ  
possunt jungi  
per matrimo-  
nium.  
Cap. 7. de cog-  
nat. spirit.  
\* In tertia col-  
lectione & a-  
pud Gregor. 9.  
legitur: filiam  
compatris vel  
commatris.

*Epist. 8.*  
Mandat ei ut  
Archiepisco-  
pum Magde-  
burgensem ab-  
solvat ad cau-  
telam.